Viro amplissimo Consultissimo Excellentissimoq[ue], Do. Jac. Mascovio, J. V. D. Sacrae R. M. Consiliario aulico, et Curiae provincialis Assessori, Senatori et reliqua, Maecenati suo qua decet Observantia Prosequendo. S. et O.

Mich. Christ. Hanov

Tuas adieci, literas, Senatus Conicensis mihi reddendas per aurigam curavit, quem nescio ubi in urbe discurrentem nondum reperire potui, ut, si quid literarum curandarum ad Tuam Amplitudinem acceperit, eas potius transmitterem. Si nihil habebit, vel perdidit forte, vel per oblivionem alicubi reliquit, has interim mitto, ex qua dicti Senatus voluntas ratione stipis ipsius conspiciatur.

Ego interim rescribam, ut, si forte
nondum curatae sunt literae hanc
eius sententiam exponentes Illustrissimi,
minimum mandatum S. T. D. Wagnero
necessarium propediem expediatur.
Qua Tua est amplitudinis pietas
in caussas pias Ruthenorum, his
literis, si opus est, in Conicensis
Stipendii commodum, quoad fieri
poterit, utetur. Ceterum gavisus
sum e Tuis literariis accipiens, res
germanas secundo iam beneficio Tibi
esse obstrictas, optoque ut residuis
eadem felicitas contingere possit,
ut Tui ingenii ornamentum illustrent.

Kanckio nostro iam id negotii dedi, ut alteram hanc partem priori iungendam mihi procuret quantocyus: a quo nescio utrum acceperit Tua Amplitudo plagulas sabbathinas superiori anno vernaculo sermone hic a me editas, quas inscribunt: Erläuterte Merckwürdigkeiten der Natur. Quod si nondum factum est, curabo ut in posterum tradantur. Iam in edendis praeceptis, quae praxi Logicae adhuc dictando substraxi, nec quae porro indigent praelectiones editione per plagularum intra anni decursum bono cum deo absolventur. Superest, ut favore tuo me complecti pergas, et felicissime et praesentem annum labentem claudas et futuros innumeros transeas, quam ditissime meritorum tuorum gloria fruiturus! Gedani d. 20 Novemb. 1737.